



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

II. De Lectione horarum, ratione ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

sententiam sanguinis, non posse Clericos
in loco supplicii assistere. Quod re-
stringit communis sententia ad Cle-
ricos in Sacris, & Beneficiarios. Atque
Suarez, & alii id etiam solum putant
in illis veniale. Hæc satis ad nostrum
propositum de his irregularitatibus,
de quibus videri possunt *Sayrus Sua-*
rez. Filliuc. & alii ex professo tractan-
tes.

CAPUT II.

De Lectione horarum, ratione ordinis.

I. **Q**UAERO. *An teneantur in Sa-*
cris constituti, sub peccato mor-
tali legere horas canonicas? Resp. tene-
ri, & quidem mortifere peccare etiam
semel omittendo. Est communis sen-
tentia, contra *Angelum & Recharum*,
qui dixerunt non esse peccatum morta-
le, nisi quis consuetudinem omittendi
habeat, vel ex contemptu faciat. Imò
plerique docent esse mortale vel unam
horam negligere, puta tertiam, vel
sextam, vel completorium. Non assen-
tior tamen *Navarr.* docenti omissio-
nem tertiæ partis, v. gr. unius Psalmi
cum

cum hymno, in sexta, vel tertia, aut nona, esse peccatum mortale; nec enim adeò materia gravis videtur, ut sub peccato mortali prohibeatur. Quin immò videri etiam possit alicui probabile, unius horæ brevioris, puta tertiæ, aut sextæ, omissionem ex negligentia, non esse mortalem, quia cum opinio communior asserat esse unicū præceptum, quo præcipitur totum divinum officium recitari, dici posset respectu hujus totius, unius horæ omissionem non esse notabilem parrem. Sic si præcipitur alicui ex pœnitentia, vel aliter, unam horam & mediam impendere orationi, vel simul, vel divisim, si mediū quadrantē horæ omittat, non censeretur peccare mortaliter. Itē si cui præciperetur aliquo die recitare quadraginta Psalmos & tres aut quatuor breves illo die contingat eū negligere, an cēsetur notabilis adeò materia, ut peccati mortalis reatum incurreret? Hæc asserri possunt pro hac sententia: nā in officio divino ferè quadraginta Psalmi incurrunt, cum le-

tionis

tionibus, capitulis, antiphonis, orationibus; dum autem omittitur, tertia, vel sexta, tres Psalmi omittuntur cum brevibus adjectis; ita ut in omnibus recitandis, non impendatur nisi horæ seculi quadrans. Debet autem esse valde grave quod mortale esse censetur, nam esse punire morte æternâ alienum est divina bonitate, cum in foro civili tale punire morte temporali censetur tyrannicum, ut rectè advertit *Reginald. p. 1. q. 6.* Sic Laici in ordine *S. Francisci* pro sexta aut tertia dicere tenentur septem *Pater noster*. Cur pro omissione negligenti *septem pater* condemnaremus eos peccati mort. cum videatur non esse satis gravis materia? An qui vovisset septies in die dicere *septem pater*, peccaret mortaliter omittere *septem*? Cum ad 80. *Pater* obligentur dietim, *septem* vix est notabilis pars. Cõfirmatur: Quia qui mutat officium, puta de *Dominica*, & ut brevius sit, dicit de *Festo* Duplici ad libitum, non censetur peccare, mort. & tamen longè plura omittit, quàm qui *Tertiam*

tiam solā. *Dices*: Ille implet præceptū quoad substantiam 7. horas persolvēs, alter autem unam ex 7. omittens, aliquid omittit quod spectat ad substantiam. *Resp.* id quidem verum esse, sed tamen illa substantia omissa non videtur satis notabilis pro peccato mortali. Nec sequitur: Una hora omittitur, ergo peccatū mortale committitur. Nā qui Sabbato sãcto omitteret Vesperas, quæ constant Psalmo *Laudate*, cū *Magnificat* & *Oratione*, videtur quid leve omittere, est tamen una hora. *Item*, qui obligaretur ad Officiū B. Virginis, omittens unam horam parvam, videtur non peccare mortaliter.

2. *QUAERO*. *Quanam sit justa causa excusans à lectione horarum?* *Resp.* i. excusat morbus, v. g. si absque notabili dolore capitis, vel oculorum, aut simili molestiã recitare nequeas.

2. Si periculum gravis mali incurres, sicut potest fieri inter hæreticos.

3. Si concio vel alia functio publica omitti deberet, vel convenienti modo fieri nequiret, nisi horæ omittantur,

tantur. Quod si quis vel ob debilitatē; vel aliam ob causam, saltem majorem partem dicere nequit, ad nihil teneatur: si majorem partem potest, teneatur illam recitare, ut docet *Navarr.* & alii Rectè tamen advertit *Binsfeldius*, hic non oportere angi nimis scrupulis, quia non requiritur ut homo in moralibus extremum potentiaē exerrat; dicimur enim posse, quod commodè, & sine probabili corporis periculo possumus, quod Medicus aut æger prudenter judicabit. Adde si ob infirmitatem non potes recitare nisi ope focii, nec consueveris eo uti, non teneris; secus si consueveris, inquit *Less.*

4. Non excusatur quis, eò quòd in studiis versetur, aut quod iter faciat, ut communis habet opinio. Qui ergo iter faciunt, & secum Breviarium non deferunt, non excusantur à peccato, qui in culpa sunt sibi impedimentum ponentes voluntariè. Qui autem caret Breviario sine culpa, nec pro tali tempore potest habere, excusatur.

Q9

3. QUÆ-

3. *QUAERO. Utrum tonsurati teneantur ad Psalmum Miserere?* Resp. etiam si sit constituto recitandi, non videtur tamen obligare per modum præcepti, sed per modum consilii, & ex decoro. Ita *Less.*

4. *QUAERO. Quale peccatum sit syncopare dictiones, vel absorbere syllabas?* Resp. 1. est syncopa, cum intercurrit verborum quædam omissio, ut sit dum priora verba junguntur ultimis, absorptis mediis, vel dum ita celeriter expediuntur horæ, ut articulatæ voces non percipiantur; vel dum inchoantur Versus, antequam alii, qui simul legunt, finiant. In his ergo cū est gravis excessus, peccatū mortale incurri potest, & obligatio repetendi. Unde in capitulo *Dolentes*, quod desumptum est ex Concilio generali Lateranensi sub Innocentio 3. dicitur: *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium studiosè celebrent pariter & devotè.* Ubi illud, *studiosè*, opponitur illi quod est cursim & syncopando recitare, ut explicat *Glossa.* Vultque Conci-

Concilium tollere abusus, qui erant in quibusdam Ecclesiis, maximè Collegiatis, ubi ob celeritatem non persolvebantur, ut decet, Officia divina Estque præceptum grave, quandoquidem strictè & virtute sanctæ obedientiæ præcipitur: neque solùm concernit in Choro cantantes, sed etiam legentes, quamvis faciliùs in Officio publico peccati gravis reatus incurratur, quàm in privato. *Adverte tamen, si quis involuntariè quædam absorbeat, v. g. ex linguæ præcipitania, balbutie, vel inolita consuetudine, quæ corrigi nequeat, non censebitur peccatum. Resp. 2. absorbere syllabas, non esse ordinariè nisi veniale, quia manet integra precum substantia, ita ut intelligi etiam possit: & quando id fit involuntariè, nullum censetur peccatum.*

Q. QUÆRO. Quale peccatum sit horarum interruptio? Resp. in privato Officio, si fiat absque causa, solùm est veniale; manet enim substantia precum, licet in medio cursu fiat aliqua intermissio,

missio. Unde etiamsi duret per unam aut duas horas, non est obligatio repetendi, quod ante recitatum est: quia singuli Psalmi, imò & versiculi suam habent significationem, Ita Less. cum multis aliis.

6. QUÆRO. *Virum si quis interrumpat officium animo repetendi jam lecta, satisfaciatur si postea non repetat, sed solum sequentia adjungat?* Resp. non teneri repetere; sufficit enim quod mutet propositum. Sic qui die festo audit Sacrum animo non satisfaciendi præcepto; sed audiendi aliud, potest mutare animum, & non audire. Ratio est, quia simpliciter præcipitur audire Sacrum attentè & devotè, non autem præcipitur ut animo implendi præceptum audiat. Potest enim nihil cogitare de præcepto, aut de Festo, & tamen audire Sacrum, & adimplere præceptum Satisfactum ergo tunc est intentioni Ecclesiæ quo ad rem præceptam. Ne tamè quis censeatur præceptum contemnere in animo, explicitè vel implicitè debet censeari velle obedire.

dire, vel per hoc opus, vel per aliud. Unde si expressè intendat non satisfacere per hoc opus, debet habere animum satisfaciendi per aliud; alioquin peccat contra præceptum, non quidem omissione operis externi, sed interno contemptu; quia non vult obedire præcepto; quamvis re ipsâ obediatur, faciendo opus. Illum autem animum debet habere, quamdiu manet in priore proposito, quo vult non esse satisfactum præcepto, opere præcedenti. Itaque si mutet hoc propositum, non est necesse ut permaneat in voluntate operis iterandi, nec tenetur iterare: quia non amplius censetur præceptum contemnere. Idem dicendum de precum repetitione. Hæc *Less.* lib. 2. cap. 37. dub. 10.

7. QUÆRO. Quale peccatum sit mutatio officii? Resp. etiam si fiat voluntariè, non esse mortale, v. g. si loco officii de feria, dicas de venerabili Sacramento, aut aliud officium. Ratio est, quia substantia præcepti servatur. Ecclesia enim primariò præcipit septem ho-

ras, quod autem fiat de hoc vel de illo festo officium; pertinet ad modum & circumstantiam secundariam, quæ non censetur tanti momenti. Ita communior sententia.

8. QUÆRO. *Quale peccatum sit mutatio ordinis inter horas? ut si Prima recitetur ante Matutinum, vel Sexta ante Tertiam?* Resp. Non esse peccatum mortiferum, quia ordo horarum non est sub præcepto nisi secundariò, nec censetur tanti momenti. Unde facilè datur justa causa mutandi. Sic justam causam existimo in Parocho, qui in diebus solemnibus manè debet cantare Matutinum cum Laudibus in Choro, & propter confessiones audiendas, & Missam celebrandam, non est rediturus ante meridiem justam, inquam, causam habet, si recitet Primam, & alias horas minores ante Matutinum; quod aliquando practicavi. Nam & communiter tradunt posse aliquem in Choro persolvere horas quæ canuntur, etiam si contingat illum necdum persolvere aliquam

quam ex horis præcedentibus. Imò cū quis accedit ad Chorum, & jam pars inchoata est, potest profequi cum aliis, & postea supplere partem omis- sam. Addit *Tolet.* si à viro gravi invite- ris ad recitandas, verbi gratia, Vesperas, & necdum recitaveris Nonam, esse justam causam.

9. *QUAERO. De tempore electionis ho- rarum* Resp. ad vitandum peccatum mortale sufficere ut recitentur ante medium noctis sequentis: est verò veniale, si absque causa tempus nimis præveniatur, vel nimis differatur. Ex consuetudine autem licitum est reci- tare Matutinum & Laudes pridie, et- iam ante Solis occasum, sive ante cœ- nam, sive post cœnam; post tempus scilicet Vesperarum & Completorii, puta circa quartam aut circiter. Lau- des adjungi possunt & sejungi, & in alterum diem differri. Parvæ horæ non possunt dici pridie, sed solum post mediam noctem, possunt tamen omnes usque ad Vesperas exclusive, ob aliquam honestam causam recita-

Qq. 4

ri ma

ri manè, teste *Navarr.* imò si causa iusta adsit, etiam *Vesperæ* adjungi possunt, teste *Cajet.* quod aperte habetur *c. 1. de celebrat. Missarum*, ut si instaret profectio, vel alia longa occupatio, vel amicorum interpellatio; imò major quies & devotio, posset legitima causa censerì, ut notat *Cajetanus*.

10. QUÆRO *Utrum peccet mortaliter, qui spontè distrahitur, modo integrè omnia pronunciet?* Resp. hic esse duplicem sententiam, unam quæ affirmat, & est probabilior; alteram quæ negat, & absolute probabilis etiam censetur, haberque multos recentiores Theologos faventes. In hac sententia, sufficit quod quis integrè persolvat officium, & exterius non faciat ea quæ incompatibilia sunt cum interna attentione, ut puta fabulari, pingere, scribere, joculari. Qui horas persolvit dum se induit, vel exuit, vel faciem lavat, potest ne quidem venialiter peccare; quia hæc non necessariò impediunt animi attentionem. Unde & præscribuntur aliquæ orationes,

tiones, dum in Missa quis induit se, vel lavat.

II. QUÆRO. *Quid dicendum de eo, qui nihil anima convertens, bonam partem Ecclesiastici Officii persolvit, animo variis cogitationibus distracto, an scilicet repetere debeat?* Resp. nihil repetere debere: nimirum quia mentis distractio minimè fuit voluntaria. Sed quid de eo judicandum, qui recitat, & postea penitus obliviscitur id quod antè recitârat? Hinc enim existunt multorum inanes scrupuli, qui cum integrum Psalmum recitaverint, non recordantur amplius ejus quod recitaverant, & ideo repetunt, ac deinde obliviscuntur quod repeterint. Hisce scrupulosis hominibus mederi oportet, suadendo eis, ut nihil repellant, alioqui si semel eis concedatur, ut dicta replicent, innumeris scrupulis aditus patebit: nam tertio & quarto, ac sæpiùs iterata à capite recitabunt. Ita Azor. l. 10. c. 3.

De obligatione Beneficiorum ad legendas Horas, & in defectu de ob-

Q 9 5

liga-

ligatione restituendi fructus. V. eundem c. 14 & Binsfeld. p. 4. c. 12. Less. l. 2. c. 34. dub. 32.

TRACTATUS VIII.
RESOLUTIONES QUÆSTIO-
num & Casuum Pastoralium.
CIRCA MATRIMONII
Sacramentum.

CAPVT I.
De Denunciationibus.

I. QVÆRO. Quot Denunciationes, & quando sint faciendæ? Resp. Trident. tres Denunciationes à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festiuis, in Ecclesia inter Missarum solemnias publicè faciendas. Hic autem aliqua notanda.

Primo, peccari mortaliter si illæ omittantur, quia præceptum est de re gravi: Putat tamen *Rebellus* cum quibusdam, non esse mortale unam omittere, quando moraliter certum est nullum esse impedimentum. Quod esse probabile existimant alii

2. Quan-